Sacramento expoſito, ne terga vertantur ad ipſum, minimè quidem in eo Altari Miſſæ celebrentur niſi, vel Altarium numeri paucitas, vel eximia templi ipſius egeſtas, aliud quandoque expoſcere videatur, quo caſu rubricæ Miſſalis obſeruentur.

Haud quaquam ad infirmorum ædes, niſi pro viatico, nec ſine vmbraculo, & luminibus deferatur, quod, vt maiori dignitate fiat, præcipimus in vnaquaque Parochia, quantum fieri poteſt Societatem Sanctiſſimi Sacramenti inſtituendam, cuius erit munus ex eleemoſynis ceræ, & oleum ad venerationem eius accendere, & lumina in proceſſionibus deferre.

Intra Cathedral.&Collegiat.Eccleſiarũ limites Canonici, intra Parochialiũ, Sacerdotes ſi numerus adſit ſin min

in alijs

in alijs Ordinibus Sacris constituti, vel Clerici, quorum defectum Layci subeant, extra Ecclesiam verò nobiliores Layci ombellam deferant.

*De Celebratione Missarum.*

## CAPVT XI.

IN Cathedrali, & Collegiatis, & generatim vbicunque plures singulis diebus celebrantur Missæ, nequaquam confusè, & cumulatim è Sacrario egrediantur, sed singulæ post singulas successiuè celebrentur, hoc ordine seruato. In Cathedrali, & Collegiatis, vt antè matutinas horas circa solis ortum sacrum vnum priuatim pro populi commodo fiat, postmodum laudibus expletis aliæ sigillatim celebrentur Missæ, ità vt post Conuentualem vnum saltem, vel alterum supersit sacrum, singulos in dies celebrandum.

Nobis sacra facientibus, & intra Missæ Conuentualis solemnia priuatas Missas celebrari vetamus, sub suspensionis à sacris ipsis, eofacto pęna incurrendæ.

Nullus Antistite inferior iuxtà Sac. Cong. rituum rescripta, quocunque titulo, aut dignitate præfulgeat audeat paramenta sumere, in Altari, sed vel in Sacrario, vel Sacrario deficiente, in apposita adhoc munus tabella, & nunquã cum annulo, aut cum pileolo celebrare, sub eiusdem suspensionis, & annulorum amissionis pęna.

A præcepto audiendi sacrum Virgines non eximuntur, nec Viduæ, parere igitur negligentes à nullo Con-

fessa-

ſeſſario cuiuſcunque Ordinis ; aut gradus abſol-uantur, quacunque hactenus auctoritate conceſſa ſuſpenſa.

Habeatur in omnium Eccleſiarum Sacrarijs libellus, aut ſaltem domi celebrantis, ſi Eccleſia Sacrarium deſideret, vbi deſcriptis certorum dierum oneribus Miſſarum, manu propria celebrantis oneris adimpletio deſcribatur, aliàs nullam de eis habeant computorum reuiſores rationem.

Onera Miſſarum perpetua nobis inconſultis à nemine recipiantur iuxta Sac. Cong. decretum, nec Miſſarum reductiones in defunctorum præiudicium, abſque noſtra licentia à Romana Curia impetrentur; ne ob veri taciturnitatem de ſubreptione Breuium ſcrupulo turbetur animus.

✱ Anniuerſarium electionis, & Conſecrationis noſtræ ſtatuta die in Kalendario, ad cuius normam quotannis efformandi Miſſam, & Officia celebrari præcipimus, celebretur in Cathedrali, & Collegiatis, in Parochialibus autem ſaltem de ea fiat commemoratio in Miſſa.

In priuatis Oratorijs caueant ſacrum facere Sacerdotes diebus duplicis Crucis ſigno, in eodem Kalendario notatis.

Layci quoque animaduertant, non ſemper à Sancta Sede Indultum, vt quilibet ſacro præſens in Oratorijs priuatis, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfaciat; proinde eos enixe in Domino hortamur, vt quoad fieri poteſt Feſtis, ac Dominicis diebus ad propriam Parochiam conueniant.

✱ [illegible] statuimus in Synodo Melphicti an: 1639. sess. III. Tit: VI cap: 15. pag. 75.

De pœ-

*De Pœnitentiæ Sacramento.*

## CAPVT XII.

VT ritè pœnitentiæ Sacramentum, quod maximæ necessitatis esse post lapsum, nemo non nouit, à nostræ Curæ subiectis ministretur. statuimus administrationem eius nullo modo extrà sedem Confessionalem exercendam, nisi aliter nobis ob ingruentem populi multitudinem, pro masculis tantùm, & rationabili causa videatur; neque ab habentibus facultatem mulierum Confessiones antè Ortum, & post Solis Occasum, nisi maxima necessitate cogente, sed nec omnium triusque sexus absque superpelliceo, & stola; maximopere hortando regulares, vt saltem cum stola, exhibeant se tanti Sacramenti ministros. Vide Decretum Romanæ Visitationis.

Domi, Infirmorum dumtaxat Confessiones audiantur sub pęna suspendendæ facultatis, nisi personarum dignitas aliud quandoque exigere videatur, quo casu Sacra Cong. Apostolicæ Visitat. etiam à Regularibus decreta Seruentur.

In sede Confessionali pęnitentis facies neutiquam ad Sacerdotem, sed ad parietem, vt alter Ezecchias conuertatur, vbi apposita, vel Christi Redemptoris, vel Sancti alicuius effigie pęnitentes peccata confitendo, largius dolere queant, & pęnitere.

Habeatur in eadem Confessionali sede tabella Bullæ Cœnæ Domini, & Casuum nobis reseruatorum, qui ad

cohiben-

cohibendam quorundam criminum licentiam sequenti numero exponentur; habeantur etiam æneí cancelli, vel stamnei erga pænitentes, & nullo modo fragiles lignei.

Omnes, & singuli ad audiendas vtriusque sexus fidelium Confessiones approbati sub pęna suspensionis à munere facultatem ipsam scripto recipiant iuxta formam hic exprimendam, & postmodum imprimendam.

*MAVRITIVS*
*Centinus &c.*

REuerendus N. ab examinatoribus nostris præuio examine approbatus, de cuius nos etiam vita, & moribus certum habemus testimonium, cum Dei, ac nostra benedictione, Sacramentales vtriusque sexus Christi fidelium Confessiones audire possit, & à peccatis absoluere: non tamen à censuris, nec à casibus Sanctæ Sedi Apostolicæ, & nobis reseruatis per sex mensis.

*Casus autem nobis reseruati, hi sunt.*

1 ENormis in Deum, ac B. Virginem, cæterosque Sanctos Blasphæmia, ex praua consuetudine.
2 Veneficia, Incantationes, & Sortilegia, etiam sine expressa Demonum inuocatione.
3 Vitium Sodomiticum, Bestialitas, & contra naturam.
4 Homicidij voluntarij perpetratio, procuratio, & cõsilium, sequuto effectu, sub quo etiam Abortum,

animato fœtu, includi, intelligimus.

5 Incestus in primo, & secundo gradu sanguinis, & in primo tantum affinitatis, etiam spiritualis, & ex fornicatione.

6 Incendium, & depopulatio agrorum, cum excommunicatione.

7 Virginum defloratio, etiam consentiente parte.

8 Falsi depositio in iudicio, contra innocentem, & Fiscum.

9 Fractio Ieiunij Quadragesimalis, in cibis Pascalibus, cum excommunicatione.

10 Recusatio solutionis Censuum, Pensionum, Decimarum, & iurium quorumcumque Ecclesiasticorum.

11 Allocutio cum monialibus, tàm oretenus, quàm per Epistolas, sine licentia; cum excommunicatione; parentibus, consanguineis, & affinibus in primo gradu exceptis.

12 Medicorum accessus ad ægrotum non confessum, vltrà tres dies.

13 Concubinatus, seruata iuris forma; vltra sex menses.

Præter alios duos reseruatos, alterum cap. de Celeb. Missarum cap. 11. fol. 14. vt supra, alterum cap. de Funeribus vt infra cap. 16.

Datum Mileti ex nostro Episcopali Palatio. Die Mensis Anno

De Sa-

*De Sacramento Ordinis.*

## CAPVT XIII.

QVoniam ex inordinata Clericorum promotione ea subimus incommoda, quæ assiduo nobis experimento in Tribunali probantur; idcirco hos ordines, in conferendis ordinibus statuimus esse seruandos.

Ordinandi ad primam Clericalem Tonsuram præter Sacræ Congregationis decretum, quod adamussim seruari mandamus per duos circiter antè ordinationis diem menses, supplices nobis literas deferant, quibus, & votum, & ætatem exprimant, & sub quo præceptore humaniores literas profiteantur, vt Parocho, aut Sacerdoti nobis probatè cognito promulgationem voti eius in Ecclesijs demandare possimus, Parochus verò, vel Sacerdos publicationes huiusmodi in Ecclesijs habitas secundum hanc formam nobis exhibeant.

Ego N. Parochialis Ecclesiæ N. sub inuocatione Sancti N. Rector, vel Archipræsbiter, fidem facio, & in verbo veritatis attestor, me de speciali mandato Illustrissimi Domini mei Episcopi Mileten. sub die N. ter inter Missarum solemnia festis diebus (vel Dominicis) semel quidem, die N. iterum die N. & tertiò demum die N. mensis &c. Populo proposuisse desideria, & vota N. filij legitimi, & naturalis N. N. nati sub die N. mensis N. anni N. Baptizati, & sacro Chrismate confirmati ab Illustrissimo Domino Episcopo N. vt in registris Ecclesiæ meæ reperi; recipiendi primam Clericalem Tonsuram, & nullum appositum fuisse canonicum impedimentum; quinimò ex pluribus testibus fide

dignis mihi compertum esse hanc supradicti N. voluntatem nullo dolo, vel fraude irretitam, neque ad Laycale forum vitandum, sed immediatè ad Diuinum Cultum dirigi; neque eum vllo modo esse malæ condicionis, aut famæ. In quorum fidem &c.

Datum die Anno

Ego N. Rector, vel Archipræsbiter, vt supra manu propria cum iuramento attestor.

Et fides proposita per publicũ Notariũ authenticetur.

Consimilis formæ conficiatur fides pro ordinandis ad minores, vel maiores ordines mutatis mutandis; & cum addito, ordinandum se in superiori ordine suscepto non quidem bis, aut quater sed pluries, & continuatim exercuisse.

Prima Clericali Tonsura initiandus, si decimum quartum ætatis suæ annum excesserit, vsque ad vigesimum adhibeat insuper fidem sæcularis Curiæ probantis eum non esse contumacem, aut exulem, sed neque inquisitum, nec Curiæ prædictæ quoquomodo debitorem; qui verò vigesimum annum expleuerit nullo prætextu, etiam Breuis Apostolici admictatur, nisi planè nobis constiterit, ordinationem eius, non obdolum, sed in maiorum ordinum assecutionem, esse cessuram.

Promouendi ad Subdiaconatum iuxta Sac. Conc. Ord. Canon. saltem per mensem antè ordinationem nos adeant de eorum idonietate, ac probitate visuros, ijs autem patrimonium nullatenus suffragetur, nisi illius per sex saltem antè ordinationem menses nulli debiti, & ab omni onere immunis, pacifici extiterint possessores; quapropter sub Diuini Iudicij comminatione Examinatoribus iubemus, vt toto spiritu inuigilent, an-

dona-

donationes Clerico ad assecutionem ordinum factæ, in fraudem aliorum cædant.

Clerici ad Subdiaconatus ordinem non assumantur, licet aliter idonei, nisi Gregorianum cantum didicerint, & nisi diuinum nouerint recitare officium.

## *De Matrimonio, & Vnctione extrema.*

## CAPVT XIV.

MAtrimonium vnionis Christi cum Ecclesia Symbolum à Deo sub ratione contractus: in ipsis mũdi incunabulis institutum, à Christo postmodum annexione collationis gratiæ, & Sacramenti virtute firmatũ, vti ea, quæ institutorem eius, ac finem sanctitudo decet; celebretur hisce præceptis in hac nostra Synodo Parochorum solertiæ demandatur.

Illud in primis sub suspensionis pęna, nisi Curia consulta, inter eos contrahere non audeant, qui diuina pręcepta ignõrauerint, illud rursus sub eadem, & grauiori pęna arbitrio nostro infligenda sine Curiæ decreto inter exteros contrahere non præsumant. Illud demum in Ecclesia tantum, & non domi contrahant, nisi aliter à nobis, vel spectata coniugum nobilitate; vel aliqua necessitate impellente fuerit dispensatum; & cum benedictionibus, & alijs solemnitatibus, vt in Rituali.

Indigenas moneãt Parochi, ne contractis sponsalibus, antè Ecclesiæ benedictionem cohabitent, sub pęna triginta librarum ceræ albæ laboratæ, & excommunicationis in subsidium, neque sub eadem pęna, quoquo modo, furtim futuræ vxoris domos ingrediantur.

Extrema de Sacramẽtis monitio sit, Vnctionẽ extremã conferendam à Parochis Aegroto (si fieri potest) integros sensus habenti.

De

*De Supplicationibus, seù Processionibus.*

## CAPVT XV.

STatutis Precessionum diebus, Clerici omnes summo manæ ad Cathedralem, vel respectiuè collegiatam, aut Parochialem, vnde supplicatio trahit originem, conueniant, quam, & deuotè, vel Sanctorum Lytanias, vel Psalmos, pro qualitate supplicationis, & itineris concinendo prosequantur; sub trium ducatorum auri pœna, pijs locis arbitratu nostro applicandorum. Porro ab hisce generalibus supplicationibus, ne se putent immunes Laycorum Societates, & Clerici omnes, quamuis exempti, dummodo beneficijs, etiam simplicibus, in hac Diœcesi afficiantur; sub eadem pęna, sed nec Regulares, nisi nimia obsit loci distantia, quæ vnius miliaris spacio ab oppido, vel Ciuitate suffragari intelligitur. Generalium verò supplicationum dies erunt Lytaniarum maiorum, & minorum, Sacratissimi Christi Corporis in festo solemni eiusdem, & iuxtà consuetudinem, etiam in octaua, & quoties à nobis pro publico bono indicentur.

Ritus educendæ supplicationis in die Festo Christi Corporis hic erit. Ornentur viæ floribus, & frondibus, induantur vestibus parietes, ambiatur pro facultate lineo panno super eminentis Cæli aer, ne Cæli æstuantis in clementia, Sacerdotis Sacramentum gestantis, & populorum aperto capite comitantium, capita feriat.

Supplicationes Sacramenti eiusdem, quæ tertijs quibusque Dominicis haberi solent, intra Ecclesiasticos parietes dumtaxat perficiantur, & quæ infrà octauam

Christi

Christi Corporis habentur externos ad summum Ecclesiæ murorum limites non transgrediantur.

Educendarum supplicationum vbi plures adsunt Parochiæ, vt Monteleonae accidit, vbi constitutas à nobis in Visitatione Parochias, & restrictum Parochorum numerum, præsenti decreto firmamus, ordo in consuetudine positus seruetur. Monteleone verò ritus hic erit, vt quotannis in posterũ in festo Sanctissimi Christi Corporis iu mane, & in octaua eiusdem post Vesperas, processio fiat à Parochis Ecclesiæ Sancti Michaelis, in qua Sacramentorum administratio ante cæteras Parochias exhibebant iuxta conuentionem cum Ciuitate initam in Parochiarum ipsarum partitione. Dominica verò infra octauam eiusdem a Parochis Spiritus Sancti, & in die octaua in mane à Parochis Succursus, quacunque prætentione sublata; cæteras autem supplicationes tam ordinarias, quales sunt Lytaniarum maiorum, & minorum, quam extraordinarias, quales sunt Sanctissimi Iubilei. vel aliæ à nobis, vel à Sancta Sede indicendæ, per vices Parochi faciant ità vt primo anno omnes prædictas educant Parochi Sancti Michaelis, secundo anno Parochi Spiritu Sancti, tertio anno Parochi Succursus, & sic continuatim sub pœna excommunicationis respectu personarum, & interdicti Ecclesiarum respectiuè, salua semper prouisione facienda per Sanctissimum Dominum, & eius Sanctam Sedem, quam adeant si qui sunt contradictores; terminos autem supradictarum Processionum non præscribimus, sed ex vrbanitate volumus vt si cui Parocho in supplicationibus per alterius Parochiæ fines ire libuerit, veniæ sibi petitio sufficiat etiam non obtentæ.

De Fu-

*De Funeribus, & Æxequijs.*

## CAPVT XVI.

PRo tumulandis fidelium corporibus, tam in campanarum pulsatione, festiuo sono, si paruuli decedant antè rationis vsum, lugubri verò si reliqui, quàm in cæteris, Rituale Romanum Pauli Quinti Sanctissimi Pontificis vsquequaque seruetur; nec Campanarum sonus vltra quadrantem protrahatur sed neque omnium Ecclesiarum Campanæ pulsentur nisi ob singularis, & spectatæ personæ decessum.

Si funeranda sint hominum ratione vtentium corpora, habeatur ex eleæmosynis emptum, quo feretrum tegatur, nigri coloris pallium, si verò paruulorum, albi.

Clerici ad funus vocati primo ad Parochiam conueniant, ex qua, Cruce præcedente, processionaliter Defuncti Aedespetant; Regulares verò, quos maximoperè dedecet apud Defuncti domum expectare, vel & ipsi in Parochialem conueniant, vel in viciniorem tumulandi Cadaueris Ecclesiam conueniendo, morentur.

Si quando accidat ad Regularium Ecclesias deferri funus, nouerint Clerici, regularium esse munus, intus eorum Ecclesiam officium celebrare, nisi alia intercedat laudabilis consuetudo, qua se vicissim Regulares, & Sæculares Clerici in proprijs Ecclesijs iuuent, quam nolumus abrogari.

Vt omne, vel læue turpis auaritiæ signum eliminetur, nihil

nihil noui prorsus pro exequijs pacisci liceat, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, sed vbique locorum introducta eleæmosynæ consuetudo, nihil penitus innouando seruetur; & ne dum alijs charitatem prędicamus, ipsi ostendamur charitate nudati, volumus omninò pauperrimas, & miserabiles personas gratis à Clero tumulari.

Vt infandum fœminarum morem, se in tumulandis affinium, cognatorum, vel coniugum corporibus, percutientium, faciem lacerantium, capillos euellentium, è medio tollamus; id ne amplius fiat sub peccati lethalis pœna inhibemus, nobis dumtaxat absolutionem eius reseruantes; quo etiam vinculo nexi volumus vtriusque sexus homines, qui præficas, seù mulieres in funere ad cantum lamentabilem conducunt, præficas autem ipsas, quæ vel domi, vel in Ecclesijs, & in itinere hoc turpe munus obire audebunt: excommunicationis eo ipso sententia innodamus.

Si quem Sacerdotem contingerit è vita decedere Vicarius loci foraneus singulis Vicariatus sui Sacerdotes moneat, vt sequenti die pro defuncti animagrati sacrum faciant. eandem, & ipsi post eorum obitum à cæteris Sacerdotibus retributionem expectantes.

Post diem commemorationis omnium fidelium Defunctorum, vbique Anniuersarium pro Defunctis Episcopis Celebretur, & altera sequenti die pro Defunctis Sacerdotibus saltem solemne sacrum vbique fiat.


Nullius Ecclesiæ Pauimentum ad cuiuscunque viri, vel mulieris funus, nobis in consultis, effrangi liceat, sub

pœna trium rotulorum ceræ albæ tam à Parocho permittente quàm à Laycis id exequentibus exigendæ.

Decedentes Intestato, statim Curiæ nostræ notificentur, vt quod iuris est fiat, nec vllo modo Parochorum discretioni remittatur, ne qua sordidæ auaritiæ labe inficiantur.

In Cathedrali, & Collegiatis hic pro funere in processionibus ordo seruetur. Vt Canonicus hebdommadarius officium faciens antiquiores alios Canonicos, imò, & dignitates præcedat, qui si Canonicatus honore non fulgeat, Canonicos antè eat, alibi verò Sacerdos cum stola, quoscunque alios etiam digniores, & antiquiores Sacerdotes præcedat.

Si quando contigerit Capitulum cum peculiari Cruce, & insignibus ad funus vocari, augeatur quidem ad Vocatorum dignitatem, sed non vltra tres aureos eleæmosyna, & hæc tam in Cathedrali, quam in Collegiatis.



*F I N I S*

*Secundæ Partis.*




Pars



# PARS TERTIA.

## De Vicarijs Foraneis.

## CAPVT XVII.




Vicarij Foranei in posterum peritiores eligantur quo maiori auctoritate, & dignitate muneri suo faciant satis, quippe qui spectata Diœcesi amplitudine proprijs in locis vice nostra funguntur ij igitur de Parochorum vitijs (si quæ sunt) nos moneant, si qui non resederint, si qui lusores, si qui denum (quod absit) concubinarij fuerint, seruata tamen forma à Christo præscripta, ita, vt priuatè prius delinquentes corrigant.

In festorum celebrationem sedulò incumbant, pœnarum executionem Seminarij Aeconomo, pro Seminarij vsibus transmittentes, & si quando, ne res tempore pereant licentiam largiri contigerit, ea certa nulli suffragari intelligatur, nisi audito sacro, & scripto tradita.

Informationes delinquentium fideliter capiant, neque de cauſis vltra facultatem Iudicent, ſed nec vllo modo delicta excuſent, aliquo, vel munere, vel affinitatis vinculo allecti ſub decem aureorum pœna prout iuris applicanda.

*De Parochis.*

## CAPVT XVIII.



PArochi, quibus ſub decem aureorum pœna Ritualis Romani Pauli Quinti Summi Pontificis vſum (quacunque excuſatione neglecta) in Sacramentorum miniſtratione præcipimus, ne dum confirmatorum, Baptizatorum, vita functorum, & Matrimoniorum libros conficiant, ſed, & animarum ſtatum eis ſubiectarum ſyncerè deſcribant, & ſingulos in annos pro Natalitijs Seruatoris noſtri Feſtiuitatibus ad nos tranſmittant.

Per ſe ipſos Sacramenta miniſtrent, & hoc ipſo decreto abuſum ſubſtituendi alios, quos eam ob cauſam ſubſtitutos vocant, eliminamus; Animam populi a Parochis ipſis requiſituri, quocunque illi nomine appellentur; ſiuè Archipræsbyteri, ſiuè Abbates, ſiuè Curati, quos rectius in poſterum ambitione ablegata (Archipræsbyteris exceptis, quibus proprium dignitatis titulum incolumen relinquimus) Rectores vocari

cari præcipimus, ficut, & Canonicos, neglecto antiquitatis pronomine (Sir) Domni vocabulo nuncupari, quod si infirmitate, vel senectute afficiantur nostrum erit de Idoneo Vicario consulere.

Antè Missam Parochialem, quam tamen non liceat diù differre, nòn nisi necessitate cogente permittant Sacrum celebrari priuatum, ne populus Festorum, quæ in Sacro Parochiali promulgantur ignarus, fiat pariter Ecclesiasticorum Præceptorum, præuarica-tor.

Singulis diebus Dominicis pro modulo populo sermonem habeant, annunciantes eis virtutes, & vitia, pro captu Auditorum, quod si ex suggesto peritiores concionem habere voluerint, sciant id eis non licere, nisi superpelliceo, & stola indutis.

Domi mulieres non habeant, quocunque prætextu, vel titulo Mancipij, vel seruitutis, nisi illæ quinquagenarium excesserint ætatis annum, sub vigintiquinque aureorum, & anathematis in subsidium pœna, cui etiam in hac re subijcimus cæteros Sacerdotes, & Clericos, & quoscunque nobis subiectos, quocunqe gradu, aut dignitate præfulgeant.

Intra Parochiæ fines iugiter resideant sub pœnis à Sac. Conc. Trident. inflictis, infallibiliter exequendo, & certò sibi persuadeant præcipuas esse Parochorum partes, miserabilibus, egenis, præsertim infirmis piè subuenire; & si exigui sint Parochiæ redditus, de ijs saltem nos monere, vt piè in Domino Animarum saluti consulamus; similiter de puellis non tamen expresso (ob decentiam puellarum, nomine) quibus egestate coactis, propè imminet amittendæ pudicitiæ periculum.

De Ec-

De Ecclesiarum immunitate ad decem vsque concertent, & si quos nouerint intrà Parochiæ fines ad Ecclesiam confugientes, scelera ibi, aut scandala perpetrare, aut etiam familiam, & vxorem ducere, ita vt cohabitent, Curiam nostram de singulis protinus certiorare teneantur; vt celeris remedij locus detur.

Nouorum Priuilegiorum, & Indulgentiarum publicationes, nisi nostra, vel Vicarij nostri Generalis manu obsignatum, ac nostro sigillo notatum exemplar viderint, non permittant. Et per quindecim post Pascha dies non Confessorum nomina, iuxta vetus præceptum ad Curiam mittant.

Concionatoribus sugestum ascensuris more nostro benedictionem impertiri non audeant, nisi speciali mandato præfulti.

Caueant ne cui cæreos Purificatæ Virginis Deiparæ sacro die distribui solitos, domum mittant; consuetudine quacumque ex Sacræ Congregationis Rituum rescriptis antiquata.

Nullum, & si benè cognitum exterum, & alterius Dioecesis Sacerdotem in proprijs Ecclesijs celebrare permittant, nisi facultatem à Curia nostra obtinuerit, quæ tamen gratis dabitur.



De Ca-

## De Canonicis.

## CAPVT XIX.

CAthedralis, & Collegiarum Cononici sacris intersint officiis Canonicali habitu, in Cathedrali quidem supra superpelliceum almutio serico rubeo, & ex alia parte pelliceo vario; in Collegiatis autem violaceo simplici, iuxta formam à nobis,& à Prædecessoribus nostris aliàs institutam, quam, quatenus esset opus, præsenti Synodo confirmamus, nec vllo modo sine superpelliceo saltem Choro intersint; sub quocumque, etiam nostri seruitij prætextu, aliàs fructus non faciant suos.

Nouerint planè, haud satis esse choro interesse, vt distributiones lucrentur, cum, & canere necessum sit, proindè ad obedientiæ meritum iubemus, ne quis alijs canentibus priuatim mussitet, sed vna simul concinat, nec pro arbitrio vagetur, sed vnusquisque in suo stallo resideat; nusquàm nisi accessurus ad librum, vel benedictionem à nobis (necessitate vrgente) periturus discedendo.

Nobis Pontificali exercentibus, siuè cum piuiali,siuè cum cappa,siuè etiam ordinationem habentibus,quamuis ea die in tabella seruitij adscripti non sint, omnes assistere teneantur sub trium librarum albæ ceræ pro qualibet vice pœna; nulli cuiusuis gradus, aut dignitatis indulgenda.

Matutinas horas circa nascentem Solem recitent, diurnas autem, cum Conuentuali Missa tertia post Solis ortum

ortum circiter hora; excipientes ab hoc ordine solemnitatem Sacratissimi Corporis Christi, & dies omnes infra illius octauam, quibus matutinum indicimus post completorium recitandum, vt interessentes, spiritualia dona ab Vrbano Secundo, concessa lucrentur; & triduum quoque maioris hebdomadæ excipientes; quo Breuiarij Ritus seruetur.

Iugè in Sacrario, & Choro silentium seruent, non enim decet orationis domos, negociationis esse domos, præceptore Christo.

Scripturarum omnium, & Priuilegiorum, si quæ sunt, Archiuium conficiant, & in eius custodiam pleno capitulo, nobisque consultis. probatæ vitæ Canonicum Archiuistam creent.

Vilia ne exerceant sub priuationis fructuum, & si opus fuerit, etiam Canonicatus contrà inobedientes pœna, sed in omnibus dignitatis suæ, ac ordinis suscepti gradum retineant, quem si sustinere, nequibunt, iuri suo cedant, præstat enim dignitatem non habere, quam dedecore dignitatem fouere.

Dignitates, seù personatus, sub pœna suspensionis fructuum præbendæ, in proprium munus incumbant, Thesaurarius quidem in Sacrarum Vestium, paramentorum, reliquiarum, & valorum custodiam; in directionem Chori Cantor, in Animarum Curam Archipræsbiter.

Ne cui fiat iniuria, Capituli Procurator in exigenda Massa, non vltra per schedulas procedat, sed coaceruatos omnes in vnum redditus, iuxtà assistentiæ laborem distribuat, partem non interessentium, Curia consulta æquè interessentibus partiendo.

Ritus

Ritus solemniter nobis assistentibus celebrandi, hic erit (Antiquato alias à nostris Prædecessoribus constituto ordine) qui nouissimis Cappellæ Santissimi Ritibus respondet.

In festo Sancti Stephani feria secunda Paschæ Resurrectionis, in consecrationis nostræ anniuersario, & quotiescunque nobis impeditis, vel absentibus, nostra solemniter celebrare interesset, sacrum solemne faciat Archidiaconus.

In Festo Sancti Ioannis, feria tertia Paschæ Resurrectionis, & in Assumptioni Deiparæ Virginis, Decanus.

In Festo Circumcisionis Dominicæ, Ascensionis Domini, & Omnium Sanctorum, Cantor.

In Festo Epiphaniæ, feria secunda Pentecostes, & feria sexta Parasceues, Thesaurarius.

In Purificatione Beatissimæ Virginis, feria quarta Cinerum, Vtroque Sabbatho Sancto, Paschæ, & Pentecostes, & Dominica Palmarum, ob fontis benedictionem. & Cinerum, Palmarumque distributionem, insuper, & Candelarum, quæ munera sunt Parochi propria, Archypræsbyter.

Festis autem Natiuitatis Dominicę, ferię quintę cænę Dñi, Dominicarũ Resurrectionis, & Pentecostes, Sacri Christi Corporis, Sanctissimorũ Petri, & Pauli Apostolorum, & Sancti Nicolai Patroni, solemniter Celebrare nostrum erit, cæteris autem per hebdommadam diebus, incipiendo à festo proximo Omnium Sanctorum huius anni, vsque ad sequentem Synodum, attento paruo in Cathedrali simplicium Sacerdotum numero, ne quid detrimenti sacrum patiatur obsequium, Canonici per vices hebdomadarij vice fungantur in Sacro Conuen-

uentuali faciendo, & in cæteris munijs in Choro præstandis, quæ de iure, non excipientes abhoc præcepto dignitates, quæ propriùs personatus sunt, quam dignitates, Archidiacono dumtaxat excepto, cui ne dùob senectutem, sed ob dignitatem, & gradum Theologalis Præbẽdæ in hac re indulgendum. Ipsis autẽ personatibus, ac dignitatibus Canonici alij in Diaconatus, ac Subdiaconatus munere inseruirè minimè teneantur, sed munus hoc ab Assumendis ab ipso Capitulo personis persoluatur; ità vt infallibiliter toto quadragesimali tempore, Festis, ac Dominicis diebus Festis primæ, vel secundæ Classis, & infra octauas Festorum primæ Classis Conuentuale Sacrum sine Diacono, & Subdiacono haud quaquam fiat.

*De Vita, & Honestate Clericorum.*

## CAPVT XX.

CLericorum vocabulo intelliguntur ne dum Celibes, tonsurati, in minoribus ordinibus constituti, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, sed, & coniugati dummodo vnicam, & Virginem duxerint, & ij quos vulgò saluaticos appellamus, de singulis singula.

Genericè Clerici omnes (saluaticis exceptis) cum tonsura, & habitu incedant, talari veste nigri coloris, ad talos vsque induti, apertas, seu pendulas ne gerant manicas, nisi itineris studio, quo casu in manicis dignitas seruetur ordinis, ità, vt coloratæ non sint, rubei, viridis, flaui, vel cerulei coloris; & idem in tibialibus præcipimus; calceos, vel nigros, vel cera obductos dumtaxat non

xat, non tamen vanis ligaminibus constrictos ferant; Arma, etiam ad venationis vsum negerant, abolitis hucusque concessis præsenti decreto licentijs; sæcularibus negocijs ne se immisceant, circulos, tabernas, & lupanaria non audeant: cerulei coloris collaria ne deferant, sed albi etiam siluctuosi incedant, & hæc quidem omnia omnibus, & singula singulis, sub vigintiquinque aureorum pœna, & excommunicationis in subsidium præcipimus.

Tesseris, aut aleis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna publicè ne ludant, sed nec ijs ludis intersint, & ptiuatos vetitos ludos fugiant, sub alijs arbitrio nostro pœnis, Annulos, ne negerant nisi ij, quibus ex officio, vel gradu licet; Comam ne deferant, barbulas ne alant: Barbarum alas (Turcharum more) non nutriant, sub decem aureorum pœna; Noctu ne incedant, nisi antè secundam horam, qua pulsata, si necessitas exigat, cum lumine, & Clericali veste progrediantur, vt ex vultu, & habitu Clericalis personæ qualitas dignoscatur, & vani sæcularium carcerantium prætextus euellantur.

Neque ab his præceptis Clericos coniugatos eximimus, qui, & Tonsuram, & habitum gestare tenentur, & Ecclesiæ cui ascribuntur inseruire, nec Veste, vel Coma, vt vxoribus placeant lasciuire debent, qui non diuidi, ne fori priuilegium amictant, sed Deo placere tenentur.

Antèquam Matrimonij vinculo nectatur interrogetur à Parocho, velit ne Clericatui cedere, nec ne, qua de re Parochus ipse Tribunal moneat, vel Coniugandus ipse voluntatem suam expressurus accedat; tam verò

coniugati, quam Cælibes, Clericatui renunciaturi pę- nes acta Curiæ nostræ tantum renuncient, alias renunciatio nulla censeatur, nec postmodum ad habitus reassumptionem ab alio, quam ab eodem tribunali, nostro præuio decreto, & matura deliberatione excipiantur.

Clerici obligandi in posterum pęnes acta Curiæ nostræ Episcopalis dumtaxat obligentur, & nullo modo laycæ, nisi petita, & obtenta à nobis facultate, secus obligationes ipsæ nullæ intelligantur.

Aerariatus, exactionis fiscalium, ac Sindicatus Vniuersitatum, & quodcunque aliud Laycale earundem ministerium nullo pacto subeant, alias fori nostro priuilegio minimè gaudere declarantur, sine tamen Curiæ & Fisci nostri preiudicio cuius interest delicta in Clericum patrata dijudicare nec quis ad id se cogi à Laycis locorum dominis, aut patiatur, aut se excuset, cum nec Laycis obedire debeat nec Clerico Layci huiuscemodi munera absque pœnarum per Sac. Canon. & per Bullam Cœnæ Domini inflictarum incursu præcipere possint.

Nullus cuiusuis ordinis, aut dignitatis, & gradus, etiam Sacerdotalis, Clericus, absque nostris literis dimissorialibus, extra Diœcesis nostræ limites progredi, & alio ire possit, sub vigintiquinque librarum ceræ albæ laboratæ, & in iuris subsidium excommunicationis pœna, facultate autem petita, Cancellarij nostri munus erit Tribunalis acta perquirere an quid contra petentem Episcopalis fiscus inquirat.

Sacerdotes omnes in Domino hortamur, vt saltem festis, ac Dominicis diebus sacrum faciant, & qui nul-

* Hoc enim [illegible] in lo bene: primo Concil. Provinciali metropolitani: [illegible] ubi [illegible] praecipimus: vide Trid: sess: 23 [illegible]

lo beneficij vinculo ligantur, aut onere, solemnioribus diebus scilicet maioris hebdommadæ, Paschatis vtrî usque, Natiuitatis, & Corporis Christi Rectoribus locorum in obeundis Ecclesiasticis muneribus opem ferant; Diaconi, & Subdiaconi quindenis quibusque diebus, alijque minorum ordinum Clerici, saltem semel in mense Sacra Communione reficiantur sub pœna trium librarum albæ ceræ; sciantque Clerici non sufficere, quòd bis, & ter Ecclesiæ, cui mancipantur inseruiant, sed requiri actus, perseuerantiam, & frequentiam, vt fori priuilegio gaudeant, quoniam Sac. Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de refor. decretum perseueratiuum actum significat.

Saluatici non per interpositam personam, sed per seipsos inseruiant, sintque omnino condicionibus illis præditi, quas Sac. Cardinal. Congregat. Decreto suo sub Datum Romæ anno MDCXXIII. X. Kalendis Iulij requirit, vt Priuilegijs in eo contentis frui possint, & ij quidem cum perpetui seruitores nuncupentur, non nisi graui corporis in seruitio, vel aliorum grauiorum criminum causa amoueantur.



De Se;

*De Seminarij nostri Clericis.*

## CAPVT XXI.

CLericorum in Seminario nostro alumnorum ætas, mores, & qualitates à Sac.Conc.Trident.sess.23. de Reform. expressæ, sincerè attendantur, ijque sub ingressu in manibus Rectoris regulas à nobis præscriptas iuramento firment, & iuramento firmatas seruent.

Horum habitus erit, Alumnorum quidem, extra Ecclesiæ seruitium talaris vestis violacei coloris, conuictorum verò, (si qui forte proprijs expensis ali in Seminario, & edoceri poposcerint) nigri, intra Eccldsiam verò singulorum violacei, cum caputio supra superpelliceum, vt veste, & moribus vniformitatem præse in diuino seruitio ferant.

Alumni, denarium numerum non excedant, qui ex diuersis Vicariatibus eligantur, vt qui onus, & honorem sentiant, vt plurimum pauperes, singuli autem ex legitimo, & honesto matrimonio nati, bonæ indolis, & famæ, quos pluribus liqueat signis, diuino seruitio mancipandos.

Ex quo vetus Seminarij taxa cecidit; & ne ex eius casu tam pium opus hucusque caderet, proprijs nostris expensis Seminarium alere coacti fuimus, ad nouam taxam conficiendam iuxta Sac. Conc. Trident.formam deputauimus, ex capitulo. Admodum Reuerendo D. Stephanum Chindarellum Cathedralis nostræ Cantorem, ex Clero autem Reuerend. D. Paulum Barburum

Sac.Can.

Sac. Can. Doctorem, Parochialis Ecclesiæ Filandari Rectorem; Capitulum verò deputauit Admodum Reuerendos D.D. Felicem de Artusa Canonicum, & Octauium Bozzutum Parochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis Monteleonis Rectorem, quorum consilio beneficia taxentur, & cætera omnia præstentur, quæ ad opportunam Seminarij alitionem necessaria esse videbuntur.

## *De Monialibus.*

## CAPVT XXII.

PRædecessorum nostrorum decreta confirmantes: hæc dumtaxat de Monialibus decernimus.

Ad Sacrum Religionis habitum inpostetum puellæ non admictantur, nisi seruato in omnibus, & per omnia Sac. Congregationis Decreto, & reali deposito facto, quod neutiquam in manibus Abbatissæ. vel Monialium, sed statuendæ à nobis personæ faciendum, & postmodum in professione ed rerum stabilium, vel censuum emptionem applicandum statuimus.

Moniales sæcularium loquutiones penitus fugiant, ne dum ex mundi illecebris abreptæ claustrali viridario Deo Cultore spiritualibus floribus, ac fructibus inhiant, in tẽporales, & mundanas, ex frequenti sæculariũ sermone, cogitationes saltem dilabantur, quod si quando sęculares alloqui contigerit, id neutiquam fiat, nisi cum solitis auscultatricibus, & præhabita à nobis, vel à nostro Generali Vicario facultate, seruata casuum nobis reseruatorum forma.

Sæcula-

Sæcularium cantiones, aut sonitus ex fenestris non audiant, sub latæ excommunicationis sententiæ pœna, quam hoc ipso decreto ferimus, tàm contrà moniales ipsas audientes quàm contra Sæculares, quascunque personas nocturno tempore, vel etiam sub, dio propè monasterium Canentes, aut quoduis instrumenti genus ad sonum apti pulsantes.

Parlatoria monialium omninò extra Ecclesiam fiant, & quæ intus Ecclesiam sunt infra mensem à publicatione præsentium claudantur.

Infirmitate Monialium vrgente Confessarius Monialium ordinarius ad audiendam Ægrotantis Confessionem haud planè antè solis ortum, nec post Vigesimam tertiam Diei horam ingrediatur, nisi, vel repentino casu, vel morbo ingrauescente proximæ mortis periculum immineat, ante cuius ingressum, Moniales singulæ ad sua se septa recipiant, sola Abbatissa, & alia ex senioribus monialibus Confessarium comitante, vsque ad ægrotantem, quæ patulo Caliæ ostio, vel loci Infirmariæ, sin minus distinctis in Cælis habitent, Confiteatur. Identidem de Communione, Vnctione extrema, & Visitatione facienda per Medicum statuimus; præcipientes, vt in posterum spectatæ solummodo vitæ, & grauioris ætates Medici pro Monialibus infirmis eligantur.

Moniales pœnitentes, quas vulgò tertij Ordinis, vel Bizocchas vocant: Domi suæ, non autem Claustraliter degentes, nullo intelligantur gaudere priuilegio nisi condicionalibus illis omnibus affectæ, quas Sacra Nouissimorum Pontificum statuta decernunt.

De Lo-

*De Locis Pijs &c.*

## CAPVT XXIIII.

LAycorum Confraternitates, Pietatis, & mortuorum Montes, Xenodochia, aliaque pia loca, quocunque vocabulo nuncupentur singulos in annos iuxta Conc. Trid. Sanctiones computa coram nobis exhibere teneantur per procuratores, antè quam hi officio cædant; nullus autem in posterum in procuratorium munus assumatur, nisi approbatione nostra, vel Vicarij nostri Generalis præuia. Quoniam autem nos alijs negocijs præpediti, non semper in computorum reuisionem quimus personaliter intendere; Constituimus propterea Computorum reuisores.

Mileti quidem pro suo, Sureti, Arenæ, Mesianij, & Briatici Vicariatibus Adm. RR. DD. Fęlicem sagittam Decanum, & Stephanum Chindarellum Cantorem Cathedralis.

Monteleone pro suo, Francicæ, Belfortis, Vallislongæ, & Suriani Vicariatibus RR. DD. Syluestrum Tur- V. I. D. Rectorem Parochialis Succursus, & Franciscum Antonium de Ianuario V. I. D. Parochiæ Spiritus Sancti Rectorem.

Seminariæ pro suo, Planitici, & Sinopolis Vicariatibus RR. DD. Io. Petrum Poetam V. I. D. Seminariæ Rectorem, & Petrum Malarbi S. T. & V. I. D. Rectorem Sanctæ Annæ.

Fitij pro Vicariatibus Roccæ Angitolæ, & Castri-

monardi, RR. DD. Io. Hieronymum Ruffum V.I.D. Archipræsbiterum, & Marcum Antonium de moxica Collegiatæ Canonicum.

Galatri pro Vicariatibus Plaizani, Sancti Georgij, Borelli, Anoyarum, & Rosarni, RR. DD. Franciscum Godanum V. I. D. & Nicolaum Agacium Sergium eiusdem Loci Archipræsbyterum; Hi autem omnes Computorum Reuisores non in solidum, sed bini vbilibet assignati coniunctim singulis annis significatioem factam ad Curiam transmictant, ad liberatoriam obtinendam.

Confraternitates, & Congregationes quocunq; nomine insignitæ nullo modo in posterum eringantur absque nostra, vel Vicarij nostri facultate, sub excommunicationis pœna, nostrâ enim interest, & regulas præscribere, & assensum præstare, & ad propter Deum res cæpta sit, inquirere; hactenus autem sine facultate ordinarij institutæ præsentium vigore interdicuntur.

## *De Cingaris, & Quæstuarijs.*

## CAPVT XXIV.

AEgyptij, quos Cingaros vocamus, quorum satis plena est Diœcesis quiuè nulla certa sede morantur, ibi teneantur Sacramenta suscipere, vbi per duos ante Pascha morati continuatim sunt menses, alioquin Curia certioretur, vt satis Paschali præcepto fecisse intel-

intelligantur, quod nec etiam Indigenæ nostri adimplere intelleguntur, qui extra Diœcesim nostram peccata Confessi, vel sacra fuerint communione refecti, nisi quandoque aliter nobis rationabili de causa visum fuerit.

Cingari rursum ad inuincem matrimonia non contrahant, nisi Curia nostra consulatur, ne qua, vel læuis poligamiæ occasio, ex nostro torpore dimanare videatur.

Peregrini, & Quæstuarij Eleęmosynas, & stipem in nostra Diœcesi petere non permittantur, nec Iconas lucri gratia ostendere, nisi præhabita Tribunalis nostri licentia, Indigenas dumtaxat bene cognitos pauperes excipiendo.

## *De Histrionibus, & alijs &c.*

## CAPVT XXV.

Histrionibus, cum mulieribus sub Excommunicationis pęna festis diebus, scannum ascendere prohibemus, similiter, & spectacula ijs diebus, quamuis sine mulieribus, & sine scanno exhibere, nisi expletis sacris, & præhabita Tribunalis nostri facultate.


Meretricibus, & lænonibus, alijsque similis farinæ publicè peccatoribus, sacrum Altaris Sacramentum minimè exhibeatur, nisi magnum per mensem antè pręstiterrint emendationis exemplar.

Caupones Quadragesimali, aut quouis vetito ab Ec-

clesiam tempore carnes, & volatilia nemini præparent, aut ed comedendum apponant, sub triginta librarum ceræ albæ laborate pœna, & excommunicationis in subsidium, cui etiam pœnæ subijcimus pro tempore quadragesimali laniones omnes, Carnis apertis Officinis venditores.

*De Concubinarijs.*

## CAPVT XXVI.



Concubinarij fideliter in Paschate à Parochis significentur, & hi, ne dum intelliguntur Concubinarij, qui cum mulieribus habitant, sed, & qui domo Concubinis conducunt. Interim verò sub Anathematis sententia singulis hac peste laborantibus, cuiuscunque sint dignitatis, aut gradus, aut ordinis, siuè Laycalis, siuè Clericalis, siuè, etiam (quod absit) Sacerdotalis. præcipimus vt infra quindecim dies à publicatione præsentium ab hac se lue eximant.



*De Officialibus Nostris.*

## CAPVT XXVII.

CVriæ nostræ Officiales, quales sunt Generalis Vicarius, Cancellarij, & Fiscus, præter alios humilioris ministerij homines, taxam olim à Ioanne Mario de Alexandris, postmodum à Marco Antonio de Tufo Prædecessoribus nostris compilatam omnino seruent, excepta taxa fideiussionis prò homicidijs, vel grauiorum Criminum patratoribus, quam arbitrarium quidem, sed nullo modo trium ducatorum numerum excedere præscribimus. In absolutionibus etiam à Iuramentis in quibus alias decem pro centenario exigebantur, tria tantum posthæc pro quolibet centenario, & ità proportionatim in singulis exigenda statuimus, saluo successorum nostrorum arbitrio.



*De Cathedratico.*

## CAPVT XXVIII.

Cathedraticum in qualibet Synodo in honorem Cathedræ persolui solitum, quod eam ob causam, quandoque ab aliquibus Synodaticum appellari consueuerat spectato subditorum nostrorum gravamine, & egestate pro hac vice dumtaxat indulgemus.

*De Examinatoribus, & alijs Officialibus, usque ad sequentem Synodum.*

## CAPVT XXIX.

AD Beneficia in Diœcesi nostra obtinenda Examinatores in concursu, in Synodo propositi, & Synodo appositi iuxtà Sac. Concil. Trident. Decretum, hi sunt.

*Cathedralis Nostra,*

Adm. Reu. D. Ioannes Dominicus Sodarus S.T.D. Archidiaconus.

Adm. Reu. D. Fęlix Sagitta Decanus.

Adm. Reu. D. Lucas Hilarius I.V.D. Archipræsbyter.

Reu. D. Fęlix de Artusa Canonicus.

Colle-

## Collegiatæ Pitij.

Reu. D. Ioannes Hieronymus Ruffus V. I. D. Archipræsbyter.

Reu. D. Nunciatus Tranquillus V.I.D. Canonicus.

## Rectores Locorum Respectiuè.

Reu. D. Octauius Buzzurus Sancti Michaelis Monteleonis.

Reu. D. Franciscus Antonius de Ianuario I. V. D. Spiritu Sancti Monteleonis.

Reu. D. Ioannes Petrus Poeta V.I.D. Seminarii.

Reu. D. Io. Iacobus de Martino Sancti Nicolai V.I.D.

Reu. D Franciscus Marafioti I.V.D. Polistinæ.

Reu. D. Petrus Malarbi I.V. & S. T. D. Sanctæ Anæ.

Reu. D. Io. Baptista Iazzolinus I.V. & S.T.D. Pizzoni.

Reu. D. Paulus Barbutus Decret. Doctor Filandari.

Reu. D. Franciscus Godanus à Galatro V. I. D.

Reu. D. Petrus Antonius Argirò I. V. D.

Reu. D. Hieronymus Zangari à Polistina V. I. D.

Reu. D. Alonsus Plutinus Rector Aquarij Sinopolis.

## Ex Regularibus.

Reu. P. Paulus à Monteleone Ord. Prædicatorum S. T. Magister.

Reu. P. Franciscus de Asculo Min. Con. Artium; & S.T.D. Theologus noster.

Reu. P. Alexander de Be[illegible]rditè Societate Iesu Lector Collegij Monteleonis.

Iudi-

*Iudices Synodales.*

## CAPVT XXX.

Adm. Reu. D. Io. Dominicus Sodarus S.T.D. Archidiaconus Cathedralis.

Adm. Reu. D. Stephanus Chindarellus Cantor Cathedralis.

Reu. D. Io. Hieronymus Ruffus V. I. D. Archipræsbyter Pitij.

Reu. D. Io. Bernardinus de Cunis Archipræsbyter Castrimalnardi V. I. D. Prothonotarius Apostolicus.

*Testes Synodales.*

## CAPVT XXXI.

Reu. D. Felix Arcòsa Canonicus Cathedralis.

Reu. D. Nunciatus Tranquillus V. I. D. Canonicus Pitij.

Reu. D. Syluester Turbulus V. I. D. Rector Succursus Monteleonis.

Reu. D. Iulius de Martino I. V. D. Rector Montis Rubei.

Reu. D. Nicolaus Agacius Sergius Archipræsbyter Galatri.

Reu. D. Alfonsus Plutino Rector Aquarij Sinopolis.

Reu. D. Hieronymus Pignelli V. I. D. Rector Aquarij Arenarum.

Officia;

Reu. D. Placidus Lipari Rector Capistani.
Reu. D. Leonectus Soderus Rector Melicuccà Soreti.
Reu. D. Petrus Tropea V. I. D. à Quinque Frodibus.
Reu. D. Scipio la Sirica à Monteleone.

*Officiales Cleri.*

## CAPVT XXXII.

RECOGNITORES librorum impremendorum Reu. P. Magister Thomas à Gifonc Regens Monteleonis Sancti Francisci Min. Con. & Reu. P. Alexander de Bernardis Rector Vniuersalis Collegij Soc. Iesu Monteleonis, & V. I. D. Scipio Mazza.

Pœnitentiarius in Cathedrali Adm. Reu. D. Lucas Hilarius V.I.D. Prothonotarius Apostolicus Archipræsbyter. *Reuisores* Administrationis locorum Piorum, vt supra cap. de locis pijs.

*Aduocati, & Procuratores Pauperum.*

*MILETI.*

Reu. D. Petrus Antonius Argirò V.I.D. Aduocatus.
Reu. D. Io. Baptista Tassonus Rector Comparoni Procurator.

*Monteleonis.*

Reu. D. Syluester Turbulus V. I. D. Aduocatus.
Reu. D. Scipio la Sirica Procurator.

Reu. D. Hieronymus Longus V.I.D. Aduocatus.
Reu. D. Ioannes Andreas Ruffus Procurator.

*Carceratorum præcipuè ad eleæmosynas.*

Reu. D. Aloysius Frezza Aduocatus.
Reu. D. Ioseph Tornesius Procurator.

*De fine Synodi.*

## CAPVT XXXIII.

HActenus, quæ pro Cleri nostri commodo vtilia videbantur; quæuè ad restaurandam Ecclesiastici Ordinis disciplinam necessaria prosecuti, vt primæ huic nostræ Synodo coronidem apponamus, decretorum nostrorum executionem ordinaria auctoritate, & omni alio meliori modo inculcantes, declaramus potestatem augendi, vel moderandi, vel quoquo modo pœnas illorum tenore inflictas commutandi, & constitutionum Synodalium vniuersarum interpræetandi nobis ipsis dumtaxat reseruari, salua tamen S.R.E. auctoritate, cui humiliter, & præsentia decreta, & nos metipsos subijcimus.


*F. Mauritius Centinus Episc. Militen. &c.*

*Petrus Ioannes Carlisanus pro Secretario.*

Episco-



# EPISCOPORVM MILETENSIS ECCLESIÆ CATHALOGVS.



MOnitos Lectores volumus, in hac Episcoporum nostræ Miletensis Ecclesiæ serie, ob varios Ciuitatis, & Ecclesiæ eiusdem casus, nonnulla Præsulum nomina monumentorum defectu excidere potuisse, laboris autem nostri non item; qui nihil ad perfectam eorum notitiam non tentatum reliquimus; & ne qua sit lectoris in æquiuoco laboratio, inuenimus primam Mileten. Episcopi nomenclaturam in actis secundæ Nicenæ Synodi sub Adriano Pontifice, & Religiosissima fœmina Irene, & Constantino Filio Augustis, quibus Epiphanius Mileti tunc temporis Episcopus propè post Tropiensem subscripsit, vt in tom. 2. conciliorum liquet; verùm ex Ciuitatum huius nominis Mileti pluritate, si quidem præter hanc nostram, alteram in Ioniæ finibus antiquiorem magni Thaletis patriam Herodotus

memorat; alteram antiquissimam, eandemque Clarissimam apud Ostia Meandri, nunc penè iacentem historiæ produnt, pro incerto habentes an Epiphanius ille nostræ huic, an alteri Ecclesiæ præfuerit, recentiorem, certioremque Præsulum seriem contexemus.

1 Arnulphus Episcopus primus à Gregorio VII. Summo Pontifice anno Domini 1073. Rogerio Magno Calabriæ Comite rogante Miletensi Ecclesiæ præficitur. Huic Episcopo, & Ecclesiæ Miletensi ad quam Comes Rogerius (Gregorio Pontifice approbante) Bibonensem, ac Taurianensem Ecclesias redegerat, idem Comes colonos, territoria, culturas, subditos (vulgò Vassallos vocant) & pleraque bona concessit, & subditos ipsos exemptione donatos, ab omni seruitute exemit. Extat tanti Priuilegij exemplar, quod Aureum Comitis Rogerij Sigillum vocatur, in Miletensi Archiuio Græcis characteribus conscriptum, & in Latinum idioma translatum anno 1621. Romæ à peritissimis vtriusque linguæ candidatis Nicolao Alemano Gregorij XV. Cubiculario, Nicolao Maria Madaffaro Rectore Sancti Thomæ in Parione Vrbis, & Fabio Oliuadisio Cathacen. ad præsens Episcopo Bouens.

2 Hiosphren Miletensis Episcopus Arnulpho successit anno 1077. eodem Rogerio Magno Calabriæ, ac Siciliæ Comite imperante, qui huic Hiosphreno Imam, & pertinentias Ecclesiæ Sanctæ Martyris Agnetis in Squillacensi Territorio concessit. Extat concessionis diploma Græcis literis manus eiusdem Rogerij subscriptum in Archiuio, quod anno 1498. in Latinum vertit Constantinus Lascari Græcus auctor Messanæ degens.

3 Ebrardus Episcopus Mileten. præfuit anno Domini

mini 1099. Extant in Archiuio Paschalis secundi Pontificis literæ ad Ebrardum subdat. Romæ pro manu Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis VI. Kal. Octob. Pontificatus Paschalis anno primo confirmantes reductionem Bibonæ, & Taurianæ Ecclesiarum ad Miteti Ecclesiā præcipientes, vt in posterum vtraq; Mileten. Ecclesiæ nomine nuncuparetur, & anathema comminantes Ecclesiæ eisdem bona vexantibus, auferentibus, aut quoquò modo minuentibus.

4 Gaufridus Episcopus sub Calixto II. Pontifice anno 1119. Ecclesiæ Miletensi præficitur, eo rogante Calixtus concessit, vt Miletensis Ecclesia perpetuò ab Archiepiscopis exempta, sub Apostolicæ Sedis Iuris specialiter perseueraret, & singulari Priuilegio Successores eius per manus Summi Pontificis consecrarentur. Rursū translationem Bibonensis Ecclesiæ in Miletensem confirmauit anno 1122. Pontificatus tertio. Calixtus hic Miletum personaliter accessit, & Gaufrido Episcopo assistente Abbatiale Templum Sanctissimæ Trinitat s à Rogerio Comite (translatis è Bibona columnis magnificentissime constructum) consecrauit.

5 Stephanus Episcopus post Gaufridum Miletensem rexit Ecclesiam sub Innocentio Secundo anno Christi 1139. habentur literæ Innocentij ad Stephanum sub datum Laterani per manum Almerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Cancellarij V. Kalendis Ian. Pontifices X, confirmantes Prædecessorum Gregorj VII. & Vrbani II. Priuilegia Ecclesiam Miletensem ab aliorum subiectione eximentia, & translationem Ecclesiarum Bibonæ, & Taurianæ iuxtà formam literarum Calixti II. approbantes.

Ansel-

6 Anselmus Episcopus Ecclesiæ Miletensi præfectus est anno salutis 1170. hic petijt ab Alexandro Tertio Sum. Pont. vt prædecessorum suorum Gregorij VII. Vrbani II. & Innocentij Priuilegia confirmaret. Annuit Pontifex, & diploma confirmans expediuit Ferentini per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi Notarij 16. Kal. Iulij Indictione prima anno 1175. Pontificatus vero 16.

7 N. Episcopus Mileten. Ecclesiam sibi commissam sub Innocentio Tertio Summo Pontifice regebat circa annum Dominicæ Incarnationis 1200. Ignoratur huius Præsulis nomen, de quo nihil in Archiuio, aut alibi comperimus; habetur tantum in Decretalibus+ titulo de corpore vitiato fragmentum literarum Innocentij Tertij præcipientium Miletensi Episcopo, vt Abbatem Monasterij à Prædecessore Electum (sed manu mutilatum) deponeret.

+ Lib. I. Tit: XX. Cap: VI. [handwritten margin note; last line illegible]

8 Petrus Episcopus Ecclesiam Mileten. rexit anno gratiæ 1213. Fæderico Sueuo Imperatore Neapolitano Rege: huic deuota mulier Venetia, vxor quondã Alexandri de Seminaria possessionem quandam in loco Mutari, & pro eo Miletensi Ecclesiæ donauit, quæ adhuc possidetur.

9 Dominicus Episcopus Mileten. sub Carolo Primo Andegauense Vtriusque Siciliæ Rege obtinuit à Nicolao Tertio Pontifice literas Fratri Petro Archiepiscopo Consentino directas, quibus mandatur, Episcopum, & Miletensem Ecclesiam immitti in possessionem iurium spiritualium, & Clericorum Monteleonis; habemus literas, & actũ possessionis traditæ anno 1280. die 21. Maij per dictum Archiepiscopum Delegatum Apostolicum

Instru-

Instrumenta habetur etiam mentio eiusdem Dominici in quodam Instrumento emptionis Domus in Casali Cristò in planitie Sancti Martini anno 1279. & in alio Instrumento Iutium Mensæ Episcopalis contra Vniuersitatem Borelli anno 1280.

10 Sabbas Miletensem Ecclesiam obtinuit anno 1295. hic concordauit cum Monacis Sancti Petri de Arena super annuo censu Mensæ Episcopali soluendo; moritur anno 1298.

11 Andreas Ordinis Min. Conuent. Sancti Francisci Sabbæ successor sub Carolo secundo Siciliæ Rege Episcus Mileten. litem cum frate Nicolao Abbate Santissimæ Trinitatis Mileten. de Tymnara Bibonæ diremit, & in possessione manutentus mandato Regio, huius rei instrumentum in cartha, quam pergamenam vocant construendum Curauit anno Domini 1304. mense Maij, extat Instrumentum in Archiuio.

12 Manfredus Giffonus Mileten. è cuius familia extant hodie Marchiones Terræ Quinque Frondium è Canonico Mileten. Decanus ex Decano Electus à Canonicis Episcopus Mileten. à Clemente PP. V. confirmatur: condidit Campanam, quam vulgò Dominicalem aiunt, in qua hi leonini versus obsoleti leguntur. Sub Præsule Claro Manfredo, anno milleno primo, ternoque deno, atque trecentino de sub tempore pleno, obijt Mileti anno 1328. conditus marmoreo lapide antè maiore templi Aram.

13. Gottifredus Fazarus Mileten. cuius nobilis familia hodie Tropeæ degit, Manfredi successor, primo Decanus Patriæ Ecclesiæ, mox Consentinæ, Consiliarius Roberti vtriusque Siciliæ Regis elicitur, Episcopus

Mileten.

Mileten. eiusq. consecratio supradicto Rege supplicante a Ioanne PP. XXI. Archiepiscopo Capuano, & Episcopo Cassinensi cōmittitur, Pontificatus anno XII. Praecipuam Miletensis Ecclesiae portam secto marmoreo lapide construxit, cum Iconibus Beatissimae Virginis, Sancti Ioannis Baptistae, & Sancti Nicolai Patroni ad cuius pedes flexo genu visitur marmorea Gottifredi imago. Maiorem Ecclesiae campanam conflandam curauit, in qua eius habetur memoria. Multiplex habetur Guttifredi memoria in Archiuio, vt potè qui validè semper prò Ecclesiae suae immunitate, & Iuribus concertauit. Moritur Mileti anno 1339. & marmoreo nobili sepulcho cōditur sub Confosso Altaris Rosarij, cuius Sepulchrum postea anno 1631. Mauritius Centinus Episcopus Mileten. ad nouam Sancti Nicolai aedem translatum nobiliori loco collocauit.

14 Dominicus secundus huius nominis Episcopus Mileten. Ecclesiam sibi creditam regebat anno Domini 1345. huius vnica tantum habetur memoria in quibusdam literis in Archiuio Miletensi asseruatis.

15 Petrus huius nominis secundus sub humanis erat, & Miletensem Ecclesiam regebat sub Ioanna Prima Siciliae Regina anno Christi 1370, Hoc praesule facta est in beneficium Ecclesiae Mileten. permutatio molendini propè Terram Sureti à Fratre Ioannes Abbate Sanctissimae Trinitatis Mileten. cum consensu Monachorum.

16 Thomas Miletensis Ecclesiae Episcopus, & supradictae Reginae Ioannae primae Consiliarius viuebat anno Christi 1376. Gregorio XI. Summo Pont. extant literę Guglielmi Cardinalis Camerarij absoluentes Thomam

mam à censuris ob non solutionem æri Cameræ debiti Dat. Auinionæ 18. Ianuari Pontificatus Gregorij anno VI.

17 Andreas Secundus Episcopus Mileten. Bonifacio Nono Summ. Pont. Ecclesiam gubernabat anno 1397. obtinuit à Bonifacio dispensationem illegitimationis Beltraini Nepotis sui, fuit Iordano de Arenis Arenarum Domino amicissimus, cui ducentas aureorum vncias gratiosè mutuatas restituit, vt in Instrumento.

18 Antonius Strata Rheginen. Miletensem Ecclesiam rexit sub anno 1420. extant in Archiuio, & apud quosdam Miletenses Ciues nonnulla collatorum beneficiorum ab hoc Præsule diplomata, nec aliud quicquam memoriæ de ipso reperimus.

19 Iacobus Episcopus Mileten. Antonio successit anno 1422. scripsit Dominico Passaliæ, & Nicolao Iuliano de Galatro prouidens eosde mensali Territorio Sanctæ Mariæ de Patagato in Territorio Anoiję.

20 Antonius Secundus Sorbillus Ecclesiæ Miletensi præficitur Renato Andegauense Siciliæ Rege, Iconem maioris Aræ erexit, Seminarium vulgò Vetus dictum pro Episcoporum ædibus instituit, Ecclesiæ Sacrarij murum fabre fecit, noui Palatij murum restituit, quorum omnium extant memoriæ lapideæ, & insignia, ab anno 1440. Miletensem Cathedram ægregiè gubernauit ad annum vsque 1466. quo mortuus est Mileti, & ad dexteram maioris Aræ sepultus. Fuit ciuis Montisleonis.

21 Cæsar Episopus Mileten. floruit Ferdinando Aragoniæ Rege, cui à Consilijs fuit, successor Antonij anno 1467. Extant Ferdinandi Regis commendatitiæ

literæ ad *Henricum* Calabriæ Ducem eius filium, in fauorem Episcopi, pro iuribus Episcopalibus in Casale Daphinà cuius nundine hodierna die, concordia inita cum Marchionibus Sureti ad centum aureos annuos Episcopali mensæ respondent. Insuper aliæ literæ eiusdem Ferdinandi ad prædictum filium, mandantes concordiam Episcopi cum Marino Correali Comite Terræ Nouę de iuribus Terrę Galatri, in quibus Criminalia reseruantur Comiti, mixta verò, cum Ciuilibus Episcopo, quæ concordia hucusque viget.

22 Narcisus post Cæsareum Episcopatu Miletensi potitus est breui tamen temporis interuallo, mortuus est enim anno 1476. post vnum cum dimidio suæ consecrationis annum, meminit eius obitus Sixtus Quartus Pont. in Electione Antonij successoris.

23 Antonius huius nominis tertius primo Episcopus Sarnensis, postmodum ab illius Ecclesiæ vinculo solutus à Sixto Quarto Pont. ad Miletensem Cathedram translatus est, Ferdinando Regi, & Calabriæ Duci Regis filio carissimus, moritur anno Domini 1469.

24 Iacobus Secundus huius nominis de Ruuare ligur Xisti PP. Quarti Nepos, Ferdinandi Regis Consiliarius, præficitur Miletensi *Ecclea* anno 1480. extant Regis Ferdinandi literæ commendatitiæ ad Ferdinandum de Aragonia filium suum Generalem in Prouincijs Calabriæ Lucumtenentem, præcipientes Summariam, & extraiudicialem pro iurium Ecclesiasticorum defensione Iustitiam: extat literæ obseruatoriæ Ferdinandi de Aragonia Comitis Arenarum, & Styli. Hic præsul Sacrarium nouum in Cathedrali erexit, & erectionis memoriam lapideam in pariete Ecclesiæ hisce carminibus,

Procuratores eius cælauerunt, Iacobus iste Nepos Xisti de Ruuare Quarti. Pontificis Præsul condere fecit opus, anno 1503. senio confectus Episcopatum Francisco Affini suo resignauit.

25 Franciscus de Rouere Ligur primo Clericus Imolensis, postmodum Iulij Summi Pont. Secundi Secretarius, & Monasterii Sancti Petris Ordinis Vallis Vmbrosæ Florentinæ Diœcesis Abbas Commendatarius, Præficitur Ecclesiæ Miletensi ab eodem Iulio, Iacobo consanguineo resignante anno Domini 1503. pridie nonas Martij Pontificatus primo; extant electionis eius Bullæ in Archiuio.

26 Andreas de Valles Patritius Romanus Francisco de Ruuare in Mileten. Episcopatu successit: noui Palatij Episcopalis Mileten. fabricam inchoauit, Parochialis Ecclesiæ Monteleonis portiones octo distribuit in populi commodum, Organa Cathedralis instituit, in quibus adhuc extant Præsulis eiusdem insignia, licet aliò, & ad aliam recentiorem formam à Mauritio Centino Episcopo redactis; Præsbyter Cardinalis tit. Sanctæ Priscæ Ecclesiasticam annuam sibi pensionem reseruauit; moritur Romæ.

27 Quintius de Rusticis Patritius Romanus resignatam ab Eminentissimo Cardinali de Valle Ecclesiam Miletensem obtinuit ad annum vsque 1560. gubernauit, incohatam nouarum ædium Episcopalium à Cardinali fabricam perfecit, marmoream Sancti Nicolai Patroni Imaginem Roma Miletum euhexit, eique proprium Altare destinauit. Romæ familiaribus irretitus negocijs moritur anno 1560.

28 Innicus Auolos de Aragonia Neapolitanus Pa-

 tritius

ttitius Regio ſanguine natus Quintio ex humanis ablato, Eccleſiæ Miletenſi præficitur, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis anno 1561. à Pio PP. Quarto renunciatur. Vniuerſam Diœceſim perſonaliter inuiſit, tenuitate prouentuum Canonicorum ſpectata Altare Vnionum deſignauit; beneficia plura ſimplicia Canonicorum Maſſę vaiendo; Regali ſane animo Eccleſiam gubernauit, ſed Romanis, & Maioribus Eccleſiæ Dei negotijs occupatus Cardinalis Tituli Sancti Laurentij in Damaſo anno 1572. Miletenſi Cathedræ cęſſit annua penſione ſibi reſeruata. Moritur Romæ.

29 Ioannes Marius de Alexandris Vrbinas primo Epiſcopus Oppidenſis, poſtea Eminentiſſimi Cardinalis de Aragonia in Miletenſi Epiſcopatu Vicarius Generalis, eodem Cardinali Eccleſiam reſignante Oppidenſis Cathedræ vinculo ſolutus anno 1572. Epiſcopus Miletenſis à Gregorio XIII. Summo Pontifice creatur. Campanam in ordine ſecundam Eccleſiæ donauit, Portam ligneam ſegmentatam erexit, ſenio confectus anno 1584. Vrbini in patrio ſolo è vita deceſſit.

30 Marcus Antonius de Tuſo Patritius Neapolitanus, primo Epiſcopus Sancti Marci, deinde in demortui Ioannis Marij locum Miletenſis Epiſcopus Creatur anno 1585. Eminentiſſimo Cardinale de Aragonia Reſeruatario adhuc ſub humanis degente. Plures Aras in Eccleſia inſtituit, noui Seminarij fabricam perfecit, Pontificale ſolium ligneum ſegmentatum, & varijs Iconibus

nibus

nibus contextum posuit. Sacras ædes Sacris supellectilibus donauit; Diœcesanam Synodum ter coegit; Ecclesiam Miletensem vsque ad annum 1606. sanctissimè gubernauit, quo mortuus est Galatri, & Miletum translatus, priuatim in æde Sancti Nicolai sepultus est.

31 Ioannas Baptista Lenus Romanus, Scipionis Burghesij Eminentissimi Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalis, & Pauli Quinti Sanctissimi Pontificis ex Sorore Nepotis, affinitatis vinculo iunctus Miletensi Ecclesiæ præfectus est anno 1606. creatus, & ipse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Miletum (Ecclesiasticis negocijs Romæ præpeditus) numquam accessit, Ecclesiam tamen per ministros ægregiè rexit, & preciosis vestibus donauit anno 1611. in demortui Ioannis Fontanæ Episcopi Ferrariensis locum suffectus Miletensi Cathedræ cæssit, è viuis ablatus est Romæ calculo correptus anno 1630.

32 Fœlix Centinus Asculanus Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Francisci S.T. Professor Neapolis, Mediolani, Bononiæ, & Romæ in Seraphico Collegio Sancti Bonauenturæ Rector, & Regens, postea Sancti Officij in Vrbe Consultor, & Ordinis vniuersi Procurator Generalis, à Paulo V. Summo Pontif. anno 1611. Cardinalis Creatus, statim Episcopus Miletensis designatur: Diœcesim vniuersam personaliter lustrauit, Parochias reformauit, Synodum coegit, Ecclesiam argenteis Candelabris, & prætiosis vestibus: Canonicos verò proprijs insignijs donauit; anno 1613. ad Maceratensem

Eccle-


Ecclesiam translatus Miletensi cessit, Maceratensem, & adhuc sub humanis degens, electus Cardinalis Episcopus sabinensis regit fæliciter.

33 Virgilius Capponius Asculanus primo Sancti Saueri Archidiaconus, postmodum Eminentissimi Cardinalis de Asculo in Episcopatu Miletensi Vicarius Generalis Miletensis Episcopus: eodem Cardinale Ecclesiam resignante, ac Pontificem rogante pietate in Patriam electus est, Ecclesiæ tecta sarsit, Episcopale Palatium nouis parietibus muniuit, iurisdictionē Ecclesiasticā tàm pro iuribus Molendini, quam Telesij acerrimè propugnauit, varia fortuna Ecclesiam per decem, & octo annos gubernauit, mortuus est Palmæ anno 1631. & in Cathedrali sepultus est in Sacrario; marmoream illi memoriam, vna cum Gottifredo Fazaro, & Marco Antonio de Tufo translatis ad ædem Sancti Nicolai ossibus, Mauritius Centinus in Episcopatu successor erexit.

34 Mauritius Centinus Patritius Asculanus Eminentissimi Cardinalis de Asculo Nepos, Ordinis Min. Con. Sancti Francisci S.T.Professor primum Ferrariensis Studij Regens, deinde eiusdem Vniuersitatis Methaphisycus Sacri Officij Consultor, postremò publicus Theologus anno 1626. ab Vrbano Octauo Summo Pontifice adhuc fæliciter, & Sanctissimè Ecclesiam Dei gubernante, Massæ Lubrensis Ecclesiæ Episcopus electus est, vbi, & Palatium Episcopale nouis ædibus, & Sacram ædem inauratis laquearibus renouato fornice, & nouis organis illustrauit; è cuius Ecclesiæ vinculo solutus Pontificis eiusdem humanitate in Miletensem Ecclesiam anno 1631. Euhectus; Seminarium perfecit, & proprijs hucusque sumptibus aluit; Maiorem Templi Aram ad

recen-

recentiorem formam reuocauit; ornato Præsbyterio pauimentum marmorem strauit, Organa auxit, inaurauit, & ad oportuniorem locum transtulit; Campanam ante minorem donauit, Sancto Nicolao Patrono translato in alium locum Sacrario ædem fabrefecit, Diœcesim inuisit, tres ad numerosi populi Monteleonis commodum (assignatis redditibus, & confinibus) destinauit, Parocchias ære proprio tabernaculo ligneo deaurato, & Baptismali Fonte ex porphiretico marmore donato; Synodum coegit. Viuit fœliciter.



*F I N I S.*



Habes

HAbes amice lector primæ Synodi Diœcesanæ Mileten. constitutiones, ac decreta, addito Episcoporum illius Cathalogo: Acta autem in quibus Consul tores fuerunt RR. D.D.P.M. Franciscus de Asculo Ord. Min. Con. & Io. Baptista Iazzolinus S. T. & V. I. Petrus Antonius Argirò, & Didacus Sanctorus V.I.D. Secretarius R.D. Franciscus Satrianus Diaconus Canonic. Cathedralis; Promotores R.D. Fęlix Artusa eiusdem Cathe dralis Canonic. Vrbanus, & D. Scipio la Sirica foraneus; Querelarum, & excusationum Iudices cum Reu. D. Octa uio Bozzuto Vic. Gen. RR. DD. Io. Hieronymus Ruffus Archipręsbyter Colleggiatę Pitij & Io. Petrus Poeta Re ctor Colleggiatę Seminarię V. I. D. Pręfecti disciplinæ, & scrutinij RR. DD. Syluester Turbulus Succursus Monteleonis Io. Bernardinus de Cunis Castrimonardi, Paulus Barbutus Filandarij, Fabius Sergius Pernucariorum, Respectiuè Archipræsbyter, & Rectores, & Michael Morabitus Sacardos Seminariæ, Confessarij cum plena potestate Adm. R.D. Fælix Sagitta Decanus Cathedralis RR. DD. Franciscus Antonius Ianuarius Spiritus Sancti Monteleonis, Io. Baptista Iazzolinus Pizzoni Rectores, & P. Magister Franciscus de Asculo, Procurator Cleri idem Iazzolinus. Magister Cęremoniarum D. Franciscus Quaranta; Ostiarij D.D. Ioseph Cepari, & Ioseph Tornesius, Notarius Franciscus Scaranus, Prædicatores RR. PP. F. Angelus à Neap. S. T. Lector Ord. Pręd. & Aloisius Sagarica Soc. Iesu, Orator Abbas Franciscus Ioannettus Clericus Asculanus Seminarij Mileten. alumnus; acta in quam impressa minimè tradidimus, ne incodicē crescceret libellus, certò tamē tibi persuademus nihil desideratū in ijs, quod noua P. Bartholomæi Gauanti Praxi præciperetur. Vale. Petrus Ioannes Carlisanus pro Secret.

Illustris-

*Illustrissime, & Reuerendissime Pater in Christo Domine.*

EGo Io. Baptista Iazzolinus huius Cleri Procurator humiliter peto, & insto apud Illustrissimam, & Reuerendissimam Amplitudinem tuam, vt ad seruandam mutuam æqualitatem inter Seculares, & Regulares Sacerdotes decernere dignaretur, qui sicuti in Ecclesijs Regularium non admittuntur Seculares Sacerdotes ad deseruiendum pro Celebratione Missarum, sic & è conuerso in Ecclesijs Secularium non admittantur ad deseruiendum pro Celebratione Missarum Sacerdotes Regulares.

*Respondit.*

*Seruetur æqualitas.*

ITem, quod Rectores Curati præferantur in seruitio Celebrationis Missarum Cappellarum sitarum in eorum Parrocchijs, quæ non fuere fundatæ ad fauorem alicuius nominati Sacerdotis, sed in eis tantum legatæ fuerunt Missæ; cum in tali casu hæredes defunctorum potestatem non habent eligendi Cappellanum, sed curare tantum vt Missæ legatæ celebrentur à ministris illius Ecclesiæ, & quod inter foraneos Sacerdotes diuidere potestatem habeant, & quod ipsi foranei teneantur deseruire Missis cantatis, processionibus, & alijs Diuinis Officijs prout tempus expostulat in Parocchijs.

*Respondit.*

*Præferantur, sed non fiat grauamen alijs Sacerdotibus.*

ITem quod oblationes prouenientes in Iubileo, vel anno Sancto in Ecclesia Parrocchiali, spectent ad Curatos.

*Respondit.*

*Conuertantur in vsum Ecclesiæ ad arbitrium Rectoris, quo facto certioretur Episcopus.*

ITem quod omnes Parochi Diœcesis vbicumque reperiri contingerit possint Pœnitentiæ Sacramentum Parocho non reluctante ministrare, & Foranei Confessarij literæ approbati Parocho reluctante rationabili de causa in eius Parrocchia Confessiones audire nequeant.

*Respondit.*

*Placet de Graduatis tantum, non liceat reluctante Parocho rationabili causa.*

ITem quod benedictiones Mulierum post partum, Domorum, Nauium, Animalium, Maritimorum, & aliorum similium ad Rectores Curatos spectent dumtaxat.

*Respondit.*

*Quæ sunt muneris Parrocchialis à Parocho tantum.*

ITem quod Regulares, & Confraternitates, quocumque nomine nuncupatæ, Processiones conficere non habeant extra claustra eorumque Ecclesias, & determinatum locum à fundatione.

*Respondit.*

*Ad est Decretum Sacræ Congregationis.*

ITem quod Vniuersitates, Laici Gubernatores Ecclesiarum, etiam si fuerint Clerici, non se ingerant in spiritualibus concernentibus iura Parrocchialia, funeralia, Missarum distributiones quocumque tit. oblatarum prout sacra iura decernunt; sed spectent ad Curatos, corruptela quacumque non obstante.

*Respondit.*

*Audiantur interesse pretendentes infra mensem.*

ITem quod Abbatissa Conseruatorij Spiritus Sancti Monteleonis, & huiusmodi aliæ super funeralia, & iura Parrocchialia non se ingerant sed spectent ad Curatos:

*Respondit.*

*Nihil innouetur in muneribus Parochi.*

ITem quod Parrocchiani qui ex vna ad aliam se conferunt cum domo, & familia ibi decimas soluere teneantur vbi pro maiori parte anni sacramenta susceperint.

*Respondit.*


*Placet.*

ITem quod Vicarij Foranei non procedunt ad faciendam taxam non vocatis omnibus vocandis pro eorum interesse.

*Respondit.*

*Taxæ fient à Curia, & Deputatis non autem à Vicarijs Foraneis.*

ITem quod Sacerdotes alias approbati tam ab Amplitudine tua Illustrissima, & Reuerendissima, quam à tui prædecessoribus possint Sacerdotum Confessiones audire, & Sacramentalem absolutionem impertire.



Respon-

*Respondit.*

*Liceat vt petitur ad nostrum beneplacitum.*

ITem multis in locis sunt nonnulli Clerici tam soluti, quam Coniugati inobedientes, & in Diuinis non seruientes, & tam malæ qualitatis quod Parochi absque euidenti vitæ periculo eos monere, corrigere, denunciare, & fidem pro ordinibus suscipiendis negare non valent: ideo humiliter peto, vt Amplitudo tua Illustrissima, & Reuerendissima salua semper vita Parochorum præuia secreta denuntiatione prouidere prout melius sibi videbitur dignaretur.


*Respondit.*
*Prouidebitur habita secreta denunciatione.*

ITem nonnullis in locis Sacerdotes Seculares, & Regulares approbati ad Confessiones audiendas quoties oritur quæstio super solutione decimarum, siue triticum siue panis malæ fuerint qualitatis, cum tenerentur pœnitentes docere, decimas deberi de melioribus, cum Deo soluantur in recognitionem omnium bonorum ab ipso receptorum, sententiam, ferunt, vt hominibus placeant, superfluè bona esse: humiliter peto vt Amplitudo tua Illustrissima, & Reuerendissima tempore examinationis, & approbationis eos iniungere dignaretur, vt omni humano respectu semoto pœnitentes doceant, & imponant decimas exoluere de melioribus.

R[illegible]spon-

*Respondit.*

*Habebitur ratio quæ de Iure, vt petitur.*



ITem quod Festa hucusque seruata de præcepto de locorum consuetudine in posterum seruentur, & stante suspitione imminentis contagij, vt Sanctus Sebastianus pro præsaluatione Amplitudinis tuæ Illustrissimæ, & Reuerendissimæ totius Cleri, & Populi, apud Deum intercedere dignaretur humiliter peto, & insto, vt eius Festum in tota Diœcesi de præcepto seruetur.

*Respondit.*


*Seruentur.*

ITem quod Amplitudo tua Illustrissima, & Reuerendissima, pro taxis conficiendis nonnullos de Diœcesi Delegare dignaretur Timoratos, & Idoneos.

*Respondit.*

DElegamus Admodum Reuerendum D. Stefanum Chindarellum Cantorem, & Admodum Reuerendum

rendum D. Foelicem de Artusa Canonicum Cathedralis. Admodum Reuerendum D. V. I. D. Ioannem Hieronymum Ruffum, & Reuerendum D. Marcum Muscica Canonicum Colleggiatæ Pitij. V. I. D. D. Iulium de Martino Rectorem Montis Rubei, & V. I. ac S. T. D. D. Ioannem Baptistam Iazzolinum Rectorem Pizzoni.



*FINIS.*

